
JANUS MULENIUS

FEBRIS HISTORIA

1598

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1175 4°




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1175 4°


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1175 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1175 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1175 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1175 4°

12-219-4°

LN 1175
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1175 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1175 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1175 4°

12, 219

BREVIS,

ſed perſpicua tamen,

FEBRIS HISTORIA:

Illius eſſentiam, ſpecies; harumq́ cauſas, ſigna tam prognoſtica, quàm diagnoſtica; indicationes & curationes, juſtâ methodo explicans.

Cujus,

Vna cum annexorum problematum Philoſophicorum,

veritatem

Ex ampliſsimi Medici ac Philoſ. Collegii Baſil. voluntate; ſupremę utriuſq; cùm Medicæ tum Philoſophicæ,

Laurea gratiâ,

JANUS MULENIUS
Ottonianus Danus,

In aula Apollinea 11. Cal. April.

σωὶ Θεῷ

propugnabit.

Typis JOANNIS SCHROETERI.
CIↃ IↃ XCVIII.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1175 4°

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

VIRO NOBILISSIMO, ET CVI VIRTVS, MVSA, GRATIA, ET FORTVNA SVAS VIRES CERTATIM affuderunt,

D. JACOBO VLFELD AB VLFELDSHOLM,

Domino & amico ſuo,
foris vt domi
De ſe ſuisque præclarè ſemper merito,
ideoq; non vulgariter honorando,

Agonem hunc ſuum Aſclepiadeum,

Amor. offic. & obſer. debitæ
argument.
OFFERT
AVCTOR.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1175 4°

DE FEBRE.

QuEMadmodum inter varios & infinitos ferè humani corporis morbos, nullus eſt qui illud ipſâ Febre frequentiùs exerceat, & ſæpius ad interitum deducat: Ita quoq; nullus eſt, cujus cognitio, & quæ hinc dependet curatio, plus neceſſitatis aut utilitatis habet. Bonâ ergo ratione factum eſt, quòd eam hîc explicandam & curandam præ ceteris omnibus elegerimus nobis; quam ſic à definitione, cui δικαίως primas tribuimus, ordimur.

THESIS I.

FEbris, (à fervore dicta, græcis πυρετὸς) eſt intemperies calida morboſa cordis, à calore alieno producta, reliquū corpus quàm ejus naturæ conveniat calidius reddens.

II.

Genus ejus Intemperiem, non calorem, poſuimus: tum quòd non cauſalem, ſed omnibus numeris abſolutam definitionem habere libuit; tum etiam, quòd impropriè hîc loqui, aut ambiguâ uti voce, contra bonæ definitionis legem, quod alii quamplurimi non curârunt, uti noluimus.

III.

Nam cùm omnis morbus διάθεσις ſit, & hæc τάξις τοῦ ἔχοντος μέρη; Hippocrates autẽ & Galenus θερμότητα παρὰ φύσιν dixerint: quis dubitat, eos aut caloris voce impropriè uſos, dum nudam & ſimplicem qualitatem febris cauſam, pro diſpoſitione febrili poſuerint; atque ita huic contigiſſe, quod aliis plurimis morbis eveniſſe Galenus 2. meth. cap. 2. re-

fert, ſc. quòd nomina cauſarum ſuarum obtinuerint: aut eos non febrem, ſed ejus ſymptoma definiviſſe nobis?

IV.

Nec ſimpliciter intemperiem diximus; ſed calidam *&* morboſam: *ut febrem ab aliis intemperiebus, quæ tam extrà, quàm intrà, ſanitatis ſunt limites, diſtingueremus. Atq; ſic quod non licuit unâ voce, tribus appoſitè expreſſimus ejus proximum genus.*

V.

Præterea, quamvis utiq; verum ſit, in ſingulis febribus ſingulas, vel quamplurimas corporis partes præternaturali æſtuare calore; febris tamen ſubjectum, non univerſum corpus, ſed Cor, *unicum ſtatuimus.*

VI.

Quia, cùm etiam omnib. conſentientib. Medicis, febris neutiquam exoriri poſſit, quin cor primò inflammetur & ægrotet; Cor autem non ſuam diſpoſitionem, ſed patibilem ſaltem qualitatem aliis partib. communicare poſſit: ſequi neceſſariò aliud non poteſt, quàm Cor non modò τὸ πρῶτον, ἀλλὰ καὶ μόνον δεκτικὸν τῆς πυρεξίας εἶναι; *quatenus ſcil. illius temperamentum, (quod ex ſimplicium, quibus conſtat, permiſtione natum & integratum eſt) corruptum & violatum ſit.*

VII.

Quib. illorum ſimul ſententiam impugnamus, qui in ſpiritib. & humoribus febris eſſentiam fundari volunt: non animadvertentes, cùm hi nullâ vitâ vivant, imò ne partium nomine, niſi gratis & impropriè, dignentur; morbus verò & ſanitas viventium ſint paſſiones, (ut à Galeno 2. meth. c. 6. dictum eſt; & Ariſtot. lib. de ſenſ. & ſenſil. in prin. ſancitum fuit:) id planè ἄτοπον *eſſe.*

IIX.

Diximus deinde, febris τὸ συνεκτικὸν, *ſeu (ut cum Ariſtot. loquamur)* τὸ πρῶτον αἴτιον, calorem alienum *eſſe: cùm ei hic adeò ſit eſſentialis, ut hoc in corde poſito aut ablato, ipſa protinus ponatur vel auferatur febris.*

IX.

Quem, ſi non nobiſcum alienum *dicere lubet; ſed potiùs aut igneum cum Gal. vel extraneum cum Avicenna, ſeu præternaturalem cum* Fernelio, *aut acquiſititium & fervidum cum aliis: nos inde nihil movemur, dummodo in re conſentire te nobiſcum fateare.*

X.

Tandem, ut effectum febris, & inſeparabile ejus ſymptoma, additum eſt: in reliquo corpore præternaturalem redundare calorem.

XI.

Nam hunc quomodocunq; auctum & corpori moleſtum imagineris, ut non poteſt ullâ ratione cordis diſpoſitio eſſe; ita nec febrem rectè dici poſſe exiſtimamus: quæ extra cor nihil magis, quàm extra cerebrum Apoplexia morbus conſiſtere poteſt. Quamvis ut in hac membrorum omnium reſolutio; ita in illa totius corporis quaſi inflammatio ſit facta: quæ nihil aliud ſunt, quàm ſymptomata, ad apoplexiam & febrem neceſſariò conſequentia.

Atq; hactenus de definitione Febris: Sequuntur *ejus ſpecies, in quarum ordine* Spirituoſa *prima eſt.*

XII.

Porrò, differentiæ Febris οἰκειότηται, *& quarum gratiâ maximè contingit curationes variari, ab ejus Cauſa, & illi, non febri, ſubjectâ materiâ, deſumuntur. Ratione cujus febrem diſpeſcimus, primò in* Scheticam *&* Hecticam.

XIII.

Schetica ἀπὸ τῆς σχέσεως, *quod habitum imperfectum ſeu diſpoſitionem notat, dicta eſt: quo nomine (teſte Gal. 8. meth. 1.) eos morbos appellant græci, qui non magno negocio ſuis excuti ſubjectis ſolent.*

XIV.

Eſtq; febris, cauſam ſui in materia mobili cordis, & ab illo ſeparabili, utpote ſpiritu & ſanguine qui frequenti acceſ-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1175 4°

ſu & receſſu ſuo ipſum alluunt, fixam habens.

XV.

Atq; hæc rurſus eſt, vel Spirituoſa, *vel* Humoralis.

XVI.

Spirituoſa *(quam alii* Ephemeram*, quòd eodem oriatur occidatq; die, vocant) eſt febris ſchetica, curatu & toleratu omnium facillima, & breviſſima, ex accenſo quidem, non tamen putrefacto ſpiritu vitali, in corde, vel extra ipſum, & huc delato, orta.*

XVII.

Nam ſpiritus putreſcere non poſſe, ut inde febris generetur, (quidquid dicant Valeſius & alii) conſtanter hiſce rationibus tenemus. I. quòd calidi & ſicci ſint: cùm humiditas (ut inquit Gal. lib. 1. de Temp. c. 4.) ſit mater putredinis. II. quòd nihil naturaliter ferventi calore præditum putreſcere poteſt. III. quòd ad putredinem (ut Ariſtot. monet) quies requiratur, quam ſpiritus non habent.

XVIII.

Hujus differentiæ potiſſimùm ex eo deſumuntur, quòd cauſarum ejus aliæ genitâ febre é veſtigio, vel ſuâ ſponte recedant, vel ſine arte à nobis tolli poſſunt: cujus generis ſunt, omnis ambientis nos fervor, calidorum uſus, vehemens tum animi tum corporis motus, vigiliæ, inedia. Quæ omnes cauſæ illam Ephemeræ ſpeciem pariunt, quæ Exquiſita *dicitur, nec ultra 24. horas ſe extendere potis eſt.*

XIX.

Aliæ verò cum febre perſiſtunt, nec niſi per mediocrem Medici curam & diligentiam exſcinduntur. Ex quarum numero ſunt inflammationes, ab Hipp. βȣβῶνες *dictæ, cruditates, dolores, deſtillationes, & cutis conſtipatio.*

XX.

A quib. cauſis orta Ephemera, frequẽter ultra diei naturalis terminũ excurrere ſolet: imò (Gal. id aliquot hiſtoriis in lib. meth. cõprobante, & Avicennâ illi manifeſtè ſuffragante)

ſæpè

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1175 4°

ſæpè periodicè, nunc ſingulis, nunc ternis, nunc quaternis, redire diebus. Ex quo etiam Non-Exquiſitæ *nomen obtinuit.*

XXI.

Deprehenditur ex cauſis, quas plerumq; ſolet habere manifeſtas: ex carentia horroris, aliorumq; ſymptomatum gravium; ex caloris ſuavitate & ubertate; ex majori neceſſitate inſpirationis, quàm exſpirationis; ex lotii naturali conſtitutione; & tandem ex febris cum madore non-graveolenlenti diſparitione.

XXII.

Mitiſsima eſt febris, & à periculo omni ſoluta; dummodo Originem ſui à prohibita tranſpiratione nō trahat, aut corpus magnâ humorum non ſcateat copiâ: quo caſu facilis illius eſt in putredinalem lapſus.

CVRATIO.

XXIII.

Quia verò raro contingit, ut in tam levi & facilè-diſſipabili malo ægroti ab arte auxilium petant; parcâ etiam manu ejus curam ſubjiciemus: præſertim dum alia graviora non deſint, quib. quid ingenium & diligentia noſtra valeat experiri liceat.

XXIV.

Quam tamen priusquam aggrediamur, opportunum hîc eſt lectorem admonere, in Curationibus nos ſemper poſthac febris mentione illius quoq; continentem intelligere cauſam; quòd hac poſitâ ponatur, remotâ removeatur febris: cauſæ verò mentione, non de alia, quàm antecedente aut evidente, nos loqui.

XXV.

U*bi ergo cauſa jam ſe à febre ſubtraxit, unicæ febri vacandum reſtat: cui exſtinguendæ ſolam victus rationem refrigerantem & humectantem ſufficere poſſe arbitramur.*

XXVI.

Si verò illa adhuc febri aſsiſtat, ad ejus expugnationem prius noſtra educemus præſidia: quâ devictâ ipſa febris non mul-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1175 4°

multum faceſſere negocii ſolet; ſed aut ſtatim cum illa, aut paullo pòſt quiete & convenienti victus ratione exſtingui.

XXVII.

Itaq; ſi hæc febris ex conſtipatione cutis orta ſit, eam cõmodè auferemus balnei, tam humidi quàm ſicci, uſu; inunctione Ol. tepentis, communis aut Chamomel. frictione & exercitatione mediocri; ptiſanæ, ſed bene coctæ, & vini (niſi affectus major ſit, & corporis adſit plenitudo) moderatâ tamen exhibitione.

XXVIII.

Si ex cruditate ſit nidoroſa, (à qua ſola illam fieri poſſe exiſtimamus) eâ priùs blando Catartico aut Clyſtere eductâ, ad ea poſtea ingenia, quib. ventriculi reprimi æſtus & conciliari robur poſſit, devenire oportet.

XXIX.

Quos ſcopos quomodo Galenus ſuo diatriumpip. (lib. 4. cap. 5. de tuenda ſanit. deſcripto, & alibi tantopere hoc caſu commendato) attingere velit, ingenuè fateor me ignorare.

XXX.

De cæteris ex hac claſſe cauſis, quomodo ſcil. illæ exſcindi debeant, cùm proprios habeant tractatus; atq; ideo hoc loco tanquam alieno foro aliquid dicere parum ſit ex uſu & conveniens: hæc ſunto de Ephemera ſatis.

XXXI.

Hactenus de Spirituoſa: ſequitur de Humorali, putredinis experte.

Humoralis *eſt febris Schetica, quam humores, aliunde ad Cor ſublati, vel in ipſo geniti, fervidiores ſuſcitârunt.*

XXXII.

Eſtq; vel Putrida, *vel* expers putredinis.

XXXIII.

Expers putredinis (*quam Gal.* Synochum absq; putredine *vocat*) *eſt febris, ex ſola caloris abundantia, in ſanguine, ob inhibitam ejus ventilationem conſiſtente, citra omnem putredinem, prognata.*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1175 4°

XXXIV.

Hujus impeditæ tranſſpirationis cauſa eſt Obſtructio: *eaq́, vel* communis, *vel* determinata.

XXXV.

Communis: *propter ſanguinis & ſuccorum in univerſo exſuperantiam; nimiamq́, ex immoderato euchymorum et calidorum ciborum uſu, aut conſuetæ alicujus evacuationis ſuppreſsione, factam collectionem.*

XXXVI.

Determinata: *quando ſcil. natura, à ſanguinis copia vel qualitate ſtimulata, in partem aliquam cordi vicinā onus ſuum deponit; ibiq́ tunc ſanguis conculcatus, quia eventilatione prohibetur, flammam & ardorem concipit: quē poſtea continuò cordi tranſmittens, illud unà accendit & inflammat.*

XXXVII.

Tales determinatæ obſtructiones, quæ nunquam ſimplices ſunt, ſed cum inflammationibus ſemper (quæ quoq́ pro copia & qualitate effuſi ſanguinis, nec non loci, naturâ nominibus variant) complicatæ, eam pariunt in principio febrem, quam in hoc ordine Comitatam *(quòd morbum comitetur) vocamus. Quæ poſtea, dum inſenſibiliter evaneſcere morbus nequit, ſed ad ſuppurationē tendit, aut in* Putridam-ſimpliciter, *aut in* Putridam-Hecticam, *degenerare conſuevit.*

XXXVIII.

A communi verò quæ oritur febris obſtructione, ea eſt, quam Primariam *&* Solitariam *appellamus.*

XXXIX.

De qua notabile eſt illud, quod excellentiſsimus D. FELIX PLATERUS, *(vir propter eximiam eruditionem, & in praxi medica vix-comparabilem experientiam, nunquam ſatis laudatus,) à ſe obſervatum, in ſuo divino de Febrib. tractatu, refert: ſæpius ſcil. contingere, ut illa pleuritim, peri-*

pneumoniam, hepatitin, anginam, podagram, aliorumq́ viſcerum periculoſas inflammationes & eryſipelata præcedat & accerſat. Ubi tamen hactenus ſemper exiſtimatum fuit, hujusmodi febrem omnem ſui originem inflammationi debere; nec, priusquam hæc occaſionem præbuerat, illam in corpore eluxiſſe.

XL.

Cognitio ſanè rei, quæ in praxi multum momenti habet, ad præcavendum hujuſmodi periculi plenas inſidias, quæ hoc modo viſcerib. & articulis ſtrui ſolent; præſertim in iis naturis, quibus inflammationib. & eryſipelatis vexari admodum familiare ſit.

XLI.

Produnt hanc febrem, præſertim ſi ſolitaria ſit: venæ copiâ diſtentæ multum turgentes; laſſitudo tenſiva; corporis, & maximè faciei, rubor & inflammatio; gravitas & capitis dolor, cum pulſatione temporum; Somnus gravis & profundus; pulſus magnus, plenus, frequens, non tamen inæqualis: deniq́ cutis blando calore & madore perfuſa.

XLII.

Si verò ſit morbo aliquo, ſive is præceſſerit, ſive ſecutus ſit, ſtipata; præter febris accidentia, (quæ tamen in hac, quàm illâ, plerumq́ ſunt mitiora,) partis etjam affectæ ſigna oſtenduntur.

XLIII.

Facilis eſt febris hujus in putridam tranſitus: modò tamen ex arte tractetur, quantum ad ipſam, nihil pericli adeſt; quamvis morbi reſpectu, à quo ſæpe pendet, res non rarò ſit deſperata & lethalis.

CURATIO.

XLIIII.

Abſolvitur ejus Curatio, ſublatione obſtructionis, & exſtinctione febris. Quos ſcopos in Primaria Synocho, ſanguinis copioſâ detractione, & frigidæ ad ſatietatem potione, aſſequi nos probè poſſe cum Galeno exiſtimamus.

Tamen

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1175 4°

XLV.

Tamen cùm quandoq; non ſatis tutus tantæ ſit frigidæ uſus, ubi ſcil. æger nihil aut parum illi eſt aſſuetus; vel etiam aliqua adſit malé affecti viſceris ſuſpicio: ejus vicem commodè decoctis, aut aquis ex frigidis, ut endiv. portul. acetos. deſtillatis, & acciditatem per ol. vitriol. aliquot guttas, aut limonum vel granatorum ſuccos, adeptis, moderatè tamen exhibitis, ſupplemus.

XLVI.

Si autem illa comitem morbum habet, qui non Eryſipelas ſit ſimplex (nam hæc non alio, quàm dicto modo, tractari opus habet) ſed aut phlegmone exquiſita, aut phlegmone eryſipelatodes, alia curæ erit ratio. Quandoquidem, etſi utriuſq; ratione, tam evacuationis quàm revulſionis gratiâ, vel maximè venæ apertio locum habet, non debet ullâ ratione frigidæ concedi potus: verùm magis quæ partis obſtructionem (de quib. ſuo loco) expedire, ejusq; conſervare robur valeant, exhiberi: non neglecto tamen febri, dum hæc ipſa urget, & aëre, & epithematis, (niſi à thorace vel jecore mali occaſio prodeat) refrigerantibus cordis & jecoris regionibus adhibitis, ſubvenire.

XLVII.

Quod Victum attinet, hic, cujuscunq; tandem generis ſit obſtructio, parcâ manu (præſertim circa morbi ſtatum) adminiſtrari debet, ejusq; qualitatis eſſe, quâ cùm refrigeret, non tamen halituoſum, quod per cutim; nec humidum, quod per veſicam; aut ſiccum, quod per alvum exeundum eſt, poſſit impedire. Quo nomine ptiſanæ cremor bene coctus, & minimùm conditus, non ſatis commendari poteſt.

Hactenus de Humorali abſq; putredine: ſequitur de Continua ſimpliciter-putrida.

XLVIII.

Putrida *eſt febris, quam humores vel halitus putredinis labe infecti produxerunt.*

XLIX.

Eſtq;, vel ſimpliciter-putrida, *vel* maligna.

L.

Simpliciter-putrida *eſt febris, quæ non ex contagioſa, aut alicujus occultæ malignitatis; ſed ſimplici & vulgari humorum putredine, ortum habet.*

LI.

Atq; hæc rurſus eſt, vel continua, *vel* interpolata.

LII.

Continua *eſt febris, quæ ab initio ad finem uſq; ſui ita perſeverat, ut quamvis aliquando remittat, rurſusq; excandeſcat; nunquam tamen* εἰς ἀπυρεξίαν *ſeu intermiſſionem deſinat.*

LIII.

Cujus quoq; duæ ſunt differentiæ: alia enim Continens *eſt, alia* continua-proportionata ſeu periodica.

LIV.

Continens (*ab Avicenna* Concluſa, *à Gal.* Synochus-putrida *dicta) eſt febris, quæ plurib. non diſtinguitur paroxyſmis, ſed unam tantùm habet acceſſionem; quæ à primo morbi inſultu ad ſolutionem uſq; continuò durat.*

LV.

Hujus cauſa in putrefacto ſanguine conſiſtit; quem venæ cavæ grandiores rami continent, & in Cor, *ſi non ſub propria ſemper, attamen ſub halitus & vaporis ſpecie, frequenter fundunt: unde aſſiduò id febre conflictari, causâ nunquam inducias dante, neceſſum habet.*

LVI.

Quo in loco Sanguinis corrupti appellatione, totum aggregatum ejus ſeu integram ſanguineam maſſam, quibuſcunq; tandem illam partibus conflatam eſſe contendas, intelligi volumus. Nam cùm in venis omnia ſint confuſa, et quælibet bene elaborati ſanguinis portio ſit, recteq; dicatur; debet ergo iisdem quib. totum conſtare naturis, quæ, ſi illa putreat,

treat, neceſſum omnino habent eandem experiri ſortem.

LVII.

Non tamen exiſtimandum eſt, cùm ſanguinem venarum ſemel putredo invaſerit, eam confeſtim ſine diſcrimine in univerſum ſerpere; quandoquidem non omnis ad ejus receptionem æqualiter eſt comparatus: ſed quò quis vicinior eſt, & minus habet reſiſtentiæ, hôc citiùs ab ea prehendi; remanente tamen ſemper aliquâ portione ejus, cum qua vita conſiſtere poſſit.

LVIII.

In hiſce igitur venarum ductibus, ſaltem ſi dicto modo temperatum exiſtentem ſanguinem, nulloq; alio vitio, niſi fortè copiâ, peccantem, putredinis inſiliat noxa; æſtus quidem magnus fit, oriturq; illa continens, quam Gal. ſynochum putridam ad differentiam ſynochi-non-putridæ, vocat.

LIX.

Verùm ſi ille intemperatus exiſtat, aut alioquin impuritate laboret, nec ſolùm venarum, ſed etiam arteriarum ſpirituoſum ſanguinem corruptela habeat; incendium longè fit maximum illaq; continentis ſpecies exſurgit, quæ Cauſus ſeu Ardens dicitur.

LX.

In qua ſpecie, ſi jam profundiora viſcera flagrare videantur, extima verò algere, peculiari ea nomine Leipyrias nuncupatur. Ardentium quidem omnium deterrima, in qua inſtar cucurbitulæ vehemens interiorum æſtus calorem undiquaq; ex toto corpore ad ſe trahit.

LXI.

Cui febri etjam quandoq; tanta ineſt vehementia, ut cordis & univerſi corporis humidiorem colliquare, & abſumere brevi ſpacio poſſit ſubſtantiam: & ſic Colliquans ardens appellatur.

LXII.

Ejusmodi ſanguinis corruptio fieri ſolet, cùm aut ipſe,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1175 4°

alioquin bonus, ſui copiâ omnem eventilationis ſibi tollit uſum; aut eò intemperiei ſive impuritatis acceſſit, ut vel ſuâ ſponte, vel mediocri calidorum uſu, à craſſis & viſcidis ſuccis tranſpiratione ſublatâ, hanc incurrat.

LXIII.

Nec eſt hîc prætereundum, Continentem febrem *aliquãdo etiam ex determinatis fieri poſſe vaſis; tum ſc. cùm illorũ viſcera cordi vicina exiſtunt; vel ſi diſtantiora ſint, copioſis tamen & magnis ſunt conſperſa venis. Cujus rei teſtis experientia, teſtes Galenus 1. in 6. Epid. com. 1. & Avicen. lib. 1. F. 4. t. 2. c. 41.* ubi *ille ab uteri, hic à pulmonum docuerunt continentium ſæpe præberi occaſiones.*

LXIV.

Continuæ verò proportionatæ *(quòd proportione reſpondeant intermittentib. ſic dictæ) ſunt febres, quæ etſi aliquot toto curſu ſuo inſignes mutationes remittendo et exacerbando habeant, nunquam tamen ægrum, antequam ex toto ſolvantur, apyreton fieri ſinunt.*

LXV.

Cujus rei ratio ex ſanguine in ramis quidem venæ cavæ, ſed minoribus & à corde remotis, non aliis quàm antè dictis de cauſis putreſcente, redditur. E quibus quia putredo, cùm propter foci diſtantiam, tum propter materiam in eo ſæpè impari copiâ collectam, non eadem perpetuò menſurâ & impetu, ſed nunc majori, paulo verò pòſt minori feratur, fit ut nec febris ſemper eodem perſiſtere ſtatu poſſit.

LXVI.

Ex quibus cauſis nos quoq; hoc dependere exiſtimamus, quòd febres hæ intermittentium æmulæ, aliquando ſingulis diebus; interdum tertia vel quarta quaq; die; nonnunquam etiam incerto ordine ſoleant miteſcere & exaſperari: ita tamen ut virtuti expultrici, texturæ corporis & viarum per quas hujusmodi fuligines excerni opus habent, conditioni, aliquid etiam aſcribamus.

Depre-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1175 4°

LXVII.

Deprehenditur putrida in genere ex caloris acrimonia & mordacitate, aliquando etiam inæqualitate: ex majore velocitate ſyſtoles quàm diaſtoles, nonnunquam etiam inæqualitate collectiva pulſus: ex majore indigentia exſpirationis quàm inſpirationis: ex urinæ, maximè circa initium, cruditate: ex calidi effluvii aut ſudoris, aliquando etiam ipſius lotii graveolentia: & tandem etiam ex perſeverantia inæqualitatis febrilis integritatis tempore.

LXVIII.

Continens *verò cùm ex modo invaſionis, nullo enim aut perexiguo rigore vel frigore prehendit; tùm ex eo quòd pari tyrannide ægrum toto quo durat tempore, exerceat, facilè innoteſcit.*

LXIX.

Ad quæ duo indicia accedunt etiam in Cauſo *vehemẽs præcordiorum æſtus; ſitis impensè moleſta; lingua arida & ſcabra; jactatio corporis indefeſſa; capitis dolor, delirium, vigiliæ; & tandem ſi diutius perſiſtet malum, totius colliquatio & macor.*

LXX.

Nec quemquam Cotinuę Periodicę *latêre poſſunt, utpote quæ ſuas manifeſtas remiſſiones absq; ſudore, & exacerbationes ſine frigore & horrore habent.*

LXXI.

Jam ut ad prognoſin deveniamus. Omnes illæ febres quæ in omnimodam quietem non deſinunt, periculo non carent. Quarum omnium ſynochus putrida, quæ ex temperato ortum ſanguine habet, minus eſt damnoſa, & facillima curatu.

LXXII.

Continua omnis febris quò ardentior, eò acutior & periculoſior. In Lipyria res planè eſt deſperata, & in Colliquativa parum ſecura.

In-

LXXIII.

In Ardente qualibet exigua excretio, ſive per nares, ſive ventrem aut cutim: veluti quoq; ab initio rigere, nihil boni portendit. Sitim non ſentire, pravum. Eidem ſingultum & convulſionem ſupervenire, pernicioſum. Et hac ſenem corripi, funeſtum. Cujus generis qui plura deſiderat, is jam Hipp. lib. 4. aphor. & alibi conſulat.

CuRATIO.

LXXIV.

Quemadmodum omnes Continuæ febris ſpecies hactenus explicatæ, cauſâ, h.e. ſanguine in ramis Venæ cavæ ex obſtructione putrefacto, conveniunt: ita quoq; Curatione quod diſcrepent parum eſt. unam *igitur omnibus competentem curã ſubjiciemus: quã ſecundùm methodi legẽ ab* obſtructione, *cauſâ illarum, quæ omnium primò ſui indicat ablationẽ, auſpicantes; ad* putredinem *deinde, quæ ſecundò; &* febrem *quæ tertiò tolli jubentur, deveniemus:* ac virium *quoq; ut habenda ſit ratio oſtendemus.*

LXXV.

Itaq; primâ quâq; occaſione baſilicæ dextri brachii, vel etjam alterius, ſi in extremitatibus corporis adſit, turgentioris venæ, imperamus ſectionem.

LXXVI.

Quo remedii genere non ſolùm aſſequimur, ut obſtructionem aliquando tollamus; ſed etjam putredinis partem aliquam evocemus, eventilationem conciliemus, febrem mitigemus, & plurima ejus triſtia accidentia, ut cephalalgiã, delirium, & internarum inflammationes, declinemus. Tanti hoc eſt momenti conſilium.

LXXVII.

Ad haſce reſpiciens commoditates Gal. 9. meth. 4. ad lipothymiam uſq; deplendum eſſe, modò vires ſufficiant, alioquin partiendam evacuationem, ſuaſit.

Hac

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1175 4°

LXXVIII.

Hac tamen cautione, ut ſi quid vel cruditatis in ventriculo & primis viis, aut veteris fecis in inteſtinis; hæc Clyſtere quod humectet & refrigeret (quod toto quoq; morbi decurſu ſæpius, præſertim ſi oblita officii ſui ſit alvus, repeti poteſt) illa pharmaco leni, ut mannâ, caßiâ, &c. priùs excludamus.

LXXIX.

Et quoniam quandoq; accidit, ut propter naturæ infirmitatem, aut ægri ejuſmodi evacuationis modum inſuetum, phlebotomiæ non ſit locus: commodè ejus vicem cucurb. ſcarif. ſupplemus: caventes diligenter, ne eas aut in dorſo unquam (quod tamen quidam malo conſilio agunt) aut thoracis regioni; verùm tibiis aut crurib. apponamus.

LXXX.

Expeditâ ſectione, ad ſiſtentia deinde putredinem, & apparantia quod de ea reſiduum eſt, viasq; obſtructas undiquaq; expedientia, niſi materia (ut Hipp. 1. aph. 22. monet) turgere deprehendatur, animum cum manib. applicamus.

LXXXI.

Turget autem materia quinq; modis: quib. omnib. nullo apparatu præmiſſo, nobis vel ſtatim à principio ad putridæ materiæ per pharmacum eductionem devenire, etiam Gal. auctoritate licebit.

LXXXII.

Quod diligenter notari illorum causâ volumus, qui nimis cauti nunquam ante concoctionem aut naturæ victoriam pharmacum ullum adminiſtrandum putant.

LXXXIII.

Modi igitur hi ſunt: cùm materia aut inſigni ſui copiâ, aut tenuitate, aut caliditate, aut malignitate aliquâ peccat, vel motum ad principes partes habet.

LXXXIV.

Semper tamen religioſè obſervandum eſt, ut omni ve-

hementiâ quæ ſic propinamus deſtituta ſint; potiusq́ leniendo, quàm electivè purgando, peccantem educant humorem; & febrilem, ſi non compeſcant, ſaltem non augeant ardorem. Cujus generis eſſe poteſt rhabarb. infuſi in decoct. tamarind. aut aq. end. ℥ I. cum ſyrup. roſat. ſol. & viol. ana ℥ I. ß.

LXXXV.

Hæc quoq; potio ante vigorem, febre ob materiæ multitudinem ſe protrahente, repeti poteſt; præſertim ſi natura ad alvum vergere velle videatur.

LXXXVI.

Ubi verò major obſtructionis, quàm materiæ turgentis ſubeſt ſuſpicio, apparans priùs vias & humores, ex ſyruporum de end. viol. acet. cit. ana ℥ ß. & aquarum acet. bugl. port. ana ℥ I. vel etjam oppilatione exiſtente difficiliore & materiâ frigidiore, ex oxymel. ſ. ſyr. acet. & byzant. cum decoct. beton. hepat. aſpar. & adianth. aliiſve ſimilib. naturis exhibemus; ut poſtea feliciùs per pauló antè-dictum pharmacum putredinem excludamus.

LXXXVII.

Si verò animadvertamus naturã per alias potiùs vias, utpote veſicam vel ambitum corporis, ſui exonerationem moliri; utiq; illa diureticis & diaphoreticis, quale eſt decoctum rad. apii, vel aſpar. & abſynth. (quod per alvum & veſicam teſte Gal. optimè evacuat) eſt adjuvanda.

LXXXVIII.

Quib. ita pro cauſæ deſtructione adminiſtratis, ad illius effectus, febris ſcil. cùm internis tum externis ſubſidiis aggredimur expugnationem, & virium conſervationem.

LXXXIX.

In quem finem in ſynocho & cauſone, apparente aliquâ concoctionis notâ, frigidæ ad ſaturitatem indulgemus potum. In reliquis verò ſpeciebus, ob ſuſpectam majorem obſtructionem, tutiorem ſeri lactis uſum, cum emulſ. ſem. mel. aut aq. hord. cum aceti parũ, aut ſyrupi de acet. cit. vel ſacch. viol. exiſtimamus.

Nutri-

XC.

Nutrimus verò cremore hordei, aut panatellâ ut vocant, vel jure pulli, cum parũ de ejus bene coctâ carne: aliquando etjam amydgal. lacte; tenuiter tamen pro virium conditione, præcipuè circa morbi acumen.

XCI.

Varia quoq; electuaria ex pulv. & conſerv. paramus, cum convenientib. aquis (quandoquidem in ſolidis aſſumendis ægri ſe ſolent offerre difficiliores) exhibenda.

XCII.

Aërem frigidum vel temperatum procuramus; & ſomnum, niſi inflammationis adſit metus, conciliamus.

XCIII.

Exteriùs thoracis regioni epithemata, ex aquarum acet. nymph. roſar. ana ℥ viij. diat. ſant. ʒ ij. camph. gr. vj. cum ſucci cit. aut. acet. ℥ j. adhibemus. & illitus ex cerato ſant. Meſ. paramus.

XCIV.

Jecoris quoq; calorem, renum & lumborum, poſt fotum ex endiv. cich. hepat. ſucco cum ſpecieb. cerati ſant. & aceto factum, refrigerante cerato Gal. vel ung. roſ. Meſ. contemperamus.

XCV.

Externarum frequenter aquis potenter frigidis fieri lotiones, & faucium collutiones jubemus.

Hactenus de Febris Continuæ ſimpliciter-putridæ ſpeciebus: ſequitur de Interpolatis.

XCVI.

Interpolata *eſt febris, quæ ad quietem & integritatem (ut Celſus loquitur) pluries accedit, viciſſimq; poſt intervallum aliquod, ferè cum rigore ſemper, recurrit.*

XCVII.

Eſtq; Typica ſeu ordinata, *vel* Erratica ſeu Inordinata.

XCVIII.

Typica *eſt febris Interpolata, quæ certum quendam ordinem, cum certa quadam febris forma & idea, acceſſus & receſſus ſui obſervat.*

XCIX.

Cujus rurſus differentiæ plures ſunt, pro diverſitate temporis & dierum, quib. hunc ordinem ſervare conſueverunt: alia enim eſt quotidiana, *alia* tertiana, quartana, quintana, ſextana, ſeptana, octana; *quæ ſingulis octo dieb. accedendo & remittendo rurſus, ſuam abſolvit periodum.*

C.

Ex quarum numero quatuor poſteriores etſi Gal. in com. 3. in 1. epid. 7. teſtetur à ſe nunquam eſſe viſas; experientia tamen Hipp. & aliorum hoc ſeculo practicantium auctoritas convincunt, & ipſas (quamvis rariùs) contingere ſolere.

CI.

U*nde illorum planè lapſus innoteſcit, qui ex triplici excrementitii humoris ſpecie, pituitâ ſc. atrâ bile & flavâ, triplicitatem ſaltem intermittentium deducere audent. Ex quorum poſtea humorum occultis naturis fluere exiſtimant, quòd febrium harum alia quotidianam, alia quartanam, alia denique tertianam conſtanter obſervet periodum.*

CII.

Cùm tamen, ut dictum eſt, et plures ſint febrium harum ac periodorum differentiæ: & planè non opus ſit nobis circuituum reddituris rationem, vel ad ejuſmodi humorum, exemplo Arabum; vel ad ipſius putredinis, more Fernelii, abditas proprietates; aut etiam ad aſtra, ut Aſtrologi, devenire.

CIII.

Nam poſito hoc primo, quemlibet excrementitium humorem purum, vel etiam cũ ſanguine aut alio humore miſtum, in aliquo concluſo circa primæ regionis viſcera ſeu præcordia loco hærentem & putrentem, quamlibet cauſari intermittentis ſpeciem poſſe; non veremur cum Gal. affirmare, paroxyſ-

morum

morum febrium & circuituum illarum cauſam, ex nullo alio quàm partis ſeu foci conditione, & humoris in ea coacervati copiâ & qualitate, nec-non viarum corporis & habitus totius conſtitutione, dependêre.

CIV.

Quoniam pro-ut membrum, in quo focus febrilis perſiſtit, propius cordi vel remotius eſt, plus vel minùs, tardiùs vel celeriùs, rariùs vel frequentiùs materiam generat, commovet & expellit; pro-ut ipſum excrementum calidius vel frigidius, tenuius vel craſſius, ſimilius vel diſſimilius, ſeu ad putredinem aptius vel ineptius; pro-ut quoq; viæ à putredinis foco cor uſq; expeditiores vel impeditiores, & corporis habitus rarior vel denſior: eò vel aſſiduò, vel per intervalla; & rurſus vel quotidie, vel tertio, vel quarto, vel quinto, &c. quoq; die, idq; diutiùs vel breviùs, affligit febris.

CV.

Unusquisq; igitur excrementitius humor, ſive miſtus ſive purus, pro-ut celeriùs & tardiùs, frequentiùs & rariùs, pro conditionib. expoſitus moveri; ita quoq; diverſarum periodorum auctor eſſe poteſt, et proinde etiam alias atq; alias proferre Intermittentis ſpecies.

CVI.

Interim tamen inficias non ibimus, ab atra-bilario humore, ut-pote putredini & motui magis reſiſtente, periodos quartanas aliis frequentiores eſſe. Quemadmodum quoq; quotidianæ & tertianæ à bile, quæ ad motum aptior eſt et naturæ moleſtior, magis, ab aliis minùs frequentes eſſe ſolent.

CVII.

Erratica *verò* ſeu Inordinata *eſt Intermittens febris, quæ nullis ſtatis periodis aut ideâ certâ procedit.*

CVIII.

Quæ quoq; ſuas differentias habet. Quædam enim ratione dierum violant; aliæ horarum ſaltem; nonnullæ ſignis

& accidentibus etjam ipſo Protheo ſunt mutabiliores.

CIX.

Cujus varietatis cauſa non aliunde, quàm ab obſtructionum & humorum putreſcentium diverſa conditione provenit: qui pro majore vel minore ipſius ægri, aliquando etjam Medici & aſtantium errore impari, ſæpè copiâ ſuccreſcunt; aliquando quoque in aliorum naturas commigrant; aut cum alius, ex quibus majorem vel minorem ad motum & putredinem acquirunt aptitudinem, confunduntur.

CX.

Ex hactenus dictis patet, non tolerabilem eſſe illorum errorem, qui vel ex ſolo circuitus ordine exactè cognoſci harum febrium cauſas, & curationis ſcopos rectè conſtitui exiſtimant. Quandoquidem alius, quàm ex periodo credatur, non rarò ſubſit humor.

CXI.

Verùm cauſarum illarum cognitionem primò ex ſignis, quæ quemque redundantem in corpore humorem oſtendunt: deinde ex effectis, quæ quisque humorum putreſcentium proferre ſolet; & excretis, longè peti certiorem.

CXII.

Qualia ſunt bilis tenuioris & ſincerioris (quæ regula eſſe poteſt ceterorum) acceſsionis tempore inſignis univerſi rigor, cum vomitione ſæpe decedens bilioſa; cui poſtea calor toto corpore æquabiliter diffuſus, vehemens primò, ſed paullo pòſt miteſcens, cum ſummo tum aeris tum potus frigidi (præſertim in vigore) deſiderio, vigiliis, capitis dolore, aliquando etjam furore, ſuccedit. Pulſus in initio contractus, poſtea validus, vehemens, & celer. Urina flava vel flammea. Et tandem cũ ſudore calido & copioſo parxoyſmi, qui in hac ut plurimum brevior eſſe ſolet, ſolutio.

CXIII.

Eadem quoque ſymptomata impurior quidem bilis oſtentat; ſed tantò mitiora, quantò illa majorem ſecum permiſtam alio-

aliorum habuerit portionem; aut ipſa degenerando propiùs alterius acceſſerit naturam & conſtitutionem.

CXIIII.

Eadem Melancholia & pituita tenuior & craſsior, ſed tamen quæ adhuc in hac quàm illa ſunt minùs manifeſta, proferunt. Cum quibus ſi illorum quoq;, quæ ægris per varias corporis regiones excerni ſolent, naturam bene expendas, de cauſa febris ulterius quod dubitare poteris, nihil habebis.

CXV.

Omnis febris, quocunq; modo intermittat (ut Hipp. 4. aph.43. inquit) periculo vacat. Eſtq́; cum hac quandoq; conflictari longè é re noſtra magis, quàm non.

CXVI.

Quæ à materia fiunt tenuiore, ſalubriores ſunt. Ejuſmodi enim ut-plurimum tutò, & citò quoq;, præſertim ſi calida ſimul ſit, judicantur: cùm cæteræ, propter materiam, quam repugnantem concoctioni & reſiſtentem expulſioni habent, diu naturæ faceſſere negotium ſoleant, & aliquando quoq; minùs tutam habere ſolutionem.

CuRATIO.

CXVII.

In hac ſcopi: ad quos dirigenda omnia noſtra præſidia veniunt, tres præfiguntur nobis: Cauſa, Febris & Vires. *Quorum priora duo, quòd naturæ vim inferunt noſtræ, prorſus exſcindenda ſunt; tertiũ verò conſervandũ & augendum.*

CXIX.

In cauſæ conſideratione rurſus hæc concurrunt: humoris putridi collectio, prohibita tranſpiratio, & obſtructio: *quæ cùm ultima in reſolutione ſit, prima in curatione (ut Gal. in lib. Meth. paſsim monet) eſſe debet.*

CXX.

Quam cùm ſolvere ſanguinis detractio, præſertim per brachii venam, non poſsit; nulla quoq; ratio eſt, cur eam (niſi plethoræ nomine majus aliquid mali metuatur) adminiſtrare debeamus.

Verùm

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1175 4°

CXXI.

Verùm potiùs ad ea accedere, quæ viſcera infarctu, ſeu (ut cum Hipp. 9. aph. 2. loquar) fluidum corpus reddere, putredinem inhibere poſſunt.

CXXII.

Quæ tamen ut eò feliciùs operari poſſint, inteſtina priùs Clyſtere aliquo leni, pro humoris peccātis natura, elui; & ventriculus primæq; viæ ab excrementis, ſi quæ habeant, pituitoſis aut bilioſis, catarctico aliquo blandiori, aut vomitorio liberari debent.

CXXIII.

Et deinde cura adhiberi, ut ſupreſſæ quoq; evacuationes, ſi quas per alias partes habere ſoleant, ægris reſtituantur: præſertim hæmorrhoidum, quorum ſolùm fluxu animadverſum eſt ſæpè ejuſmodi febres penitus fuiſſe jugulatas.

CXXIV.

Obſtructione igitur liberans, & humores putridos apparans, ejuſmodi ex uſu eſſe poteſt, quod paratur ex oxymel. ſ. de endiv. de cichor. ſ. cum aq. capill. vener. end. hepat. vel frigidiore exiſtente materiâ & craſſiore, ex ſyr. de cich. cum rhabarb. de byzant. cũ decoct. agrim. beton. pentaph. rad. apii.

CXXV.

Hiſce ſic præparato corpore & humore, vel etiam in principio ſtatim ſi materia turgeat, (ut antè à nobis eſt in Curat. continuæ demonſtratum) adminiſtranda, quietis tamen tempore, purgatio erit. In calidiori conſtitutione, rhabarb. el. ℨ.I. infuſi in ſyrup. roſ. ſol. ℥ I. ß. & aq. bugl. vel end. q. ſ. In frigidiori verò, pilulis ex maſſa pill. aggreg. & de fumar. ana ℨ ß. cum ſyr. de beton. formatis.

CXXVI.

Quorũ uſu, etſi pertinacior eſt obſtructio, quàm ut cedere velit; non debet ideo res vehementioribus tentari, ſed potiùs mitioribus per plures vices alternatim repetitis, præparantib. & evacuanitb. hoc modo tractari: ℞. pill. alephang.

de trib.

de trib. cum rhab. ana ʒ 1. aggreg. ʒ ij. cum ſyr. de beton. f. pill. 12.

Deinde ℞. Throch. de cappar. abſinth. eupat. ana ʒ 1. ß Cum ſyr. byzant. fiant quoque pill. 12.

Ex quib. alternatim ſingulo mane accipi binæ debent, locusque exterius eiuſmodi decocto diligenter foveri: ℞. ol. amygdal dul. amar. ana ℥ ß. Herb. ceterach. M. ß aceti ℥ 1 ß. bull. ad conſumpt. aceti.

CXXVII.

Vomitus quoq;, præſertim ſi huc natura tendat, ſæpè poſt cibum eſt prouocandus. Quo excretionis modo D. Herc Saxonia, excellentiſſ. Medicus Patauinus, ſe plures quartanarios, quam alvi fluxu liberaſſe ingenue ſæpè nobis profeſſus eſt.

CXXVIII.

Eodem modo, ſi ſe exonerare natura per alias conueniẽtes vias, vt pote veſicam aut cutem, tentet, ex Hipp. præcepto, 1. aphor. 21 adiuvandus nec vnquam impediendus eius conatus eſt.

CXXIX.

Hiſce cauſæ nomine peractis, febris etiam & virium habenda ratio erit. Quorum gratiâ, quia liquida quàm ſolida, acida quàm dulcia, magis placere ſolent, ex aquis refrigerantibus, vt port. endiv. acet. & ſyrupis acidis, quales ſunt de limon. de acet. cit. de agreſta, iulepos exhibemus.

CXXX.

Victus rationem eam, qua æger in acutis ſupereſſe & chronicis durare poteſt, inſtituimus.

CXXXI.

Ideoque ex Hipp. 1. aph. præcepto, in acutis parcè, in diuturnis verò pleniùs nutrimus, uſque dum conſiſtere velit morbus. Quo tempore ſubtrahendus cibus: qui ſemper facilis eſſe digeſtionis, & parum excrementi habere, nec unquam niſi intermiſſionis tempore offerri debet.

CXXXII.

Vinum, quo ſummopere vires refici ſolent, ſed nunc magis, nunc minùs, pro febris natura & caloris vehementiâ, dilutum concedimus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1175 4°

C X X X I I I.

Reliqua verò quod attinet, quæ in Curat. Continuæ, tam externa quàm interna, dicta fuere, hic quoque conuenire poſſunt. Atq; ita Febrem Putridam ex vulgari putredine ortam quanta potuimus diligentia & breuitate explicuimus: Cui iam quoque Malignæ tractatio adiicienda eſſet: verùm cùm pars iſta futura ſit prolixior, quàm fortè leges theſium ferrent, & breuitas temporis admiſſura eſſet, cum bona venia & ratione hanc ad meliorem occaſionem nos reſeruare, ac ſtatim alterum febris genus, quod ἐν ἕξει *conſiſtit, accedere poſſe confidimus.*

Hactenus de Febre Schetica:
Sequitur de Hectica.

C X X X I V.

Hectica *vel* ἀπὸ τῆς ἕξεως, *eâ qualitatis ſpecie, quæ difficulter à ſuo ſubiecto remouetur, vel quod* ἐν ἕξει *habitu, ſeu ſolidis cordis partibus, fundamentum habeat, nomen obtinuit.*

C X X X V.

Eſtque febris, quæ propter perennem ſuæ cauſæ præſentiam (caloris vid. præternaturalis in ſolida cordis ſubſtantia fixi & radicati) hominem, naturale eius humidum abſumendo, ſenſim conficit, & ad marcorem deducit: omniumque febrium, ægerrimè ſe excuti ſinit.

C X X X V I.

Hæc duplici via inuadere ſolet. Nam aut communem cum Ephemera (ab ira ſcil. æſtu, labore, vel inedia) ortum habet, aut ab aliis morbis genita in apertum prodit.

C X X X V I I.

Quo in loco ſubit mirari Auicennæ & aliorum plurimorum opinionem, qui autumant inſolens, imò planè abſurdum eſſe, Hecticam à procatarctica induci cauſa: inde forſan seducti, quòd neminem (vt de ſe refert Gentil. in com. Auic. cap. proprio) à principio, & niſi poſt alias febres obſeruarint hecticos factos.

Quæ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1175 4°

CXXXVIII.

Quæ ratio aliud probare non videtur, quàm quòd vix, imò ne vix quidem, ab aliqua evidente cauſa Hectica accendi poſsit, quin ſimul humores, vel ad minimum Spiritus, inflammentur: poſt quorum etiam reſtitutionem, illa nihilo-minùs perſeveret.

CXXXIX.

Ad noſtræ verò ſententiæ confirmationem, qui ut nunquam immediatè à Diaria, ita ſæpe ab evidente Cauſa, cum Gal. 1. de diff. feb. hanc produci exiſtimamus; vel hoc unicum ſufficiens eſſe poteſt argumentum: Quòd cùm potentiori in agendo cauſæ propter inſufficientiã effectum aliquod non liceat aſſcribere, ratio etjam nulla ſit, cur debiliori licebit. Inferiorem autem viribus Ephemeram ſuâ causâ eſſe, nemo qui propter hanc illam eſſe conſideret, dubitare poteſt.

CXL.

Cujus rei conſcius Galenus, ut non debuit, ita nec voluit ullo in loco, ubi Hecticæ recenſet cauſas, Ephemeræ facere mentionem.

CXLI.

Secundùm quam veritatem Hectica eſt, vel Incipiens *&* πρωτοπάθεια, *vel* ὑστεροπάθεια & ex aliis antegreſsis morbis originem trahens.

CXLII.

Atq; hi morbi eſſe poſſunt, vel partium nobilium malè curatæ inflammationes, viſcerũq; diu latentes obſtructiones; vel febres, tam diuturnæ quàm acutæ, impensè (ut illæ quæ Cauſones dicuntur) calidæ.

CXLIII.

Quarum ſæpè tanta ſunt incendia, ut non (quod Hecticæ opus eſt,) ſenſim corpus ad tabem deducant, ſed ſubitò colliquent, & deſtitutum naturali humido reddant; ita ut colliquationis ſigna etjam in excretis appareant. Quo nomine etjam Hecticæ, *ſed impropriè, vulgo dicuntur: cùm rectiùs* Colliquantes *febres de genere putridarum (inter quas etjam de his dictum eſt) exiſtimentur.*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1175 4°

CXLIV.

Super igitur nunc eſt, ut hîc de propriè dicta Hectica, præcipuè eâ quæ ſimplex eſt & ſolitaria, (quandoquidem altera, quæ cum putrida eſt aut viſceris alicujus ulcere complicata, vix aliquam admittat curationem) verba faciamus.

CXLV.

Hujus tria tempora, ſeu (ſi mavis) gradus conſtituũtur. Quorum I. eſt, cùm humiditas rorida, quæ veluti cõmeatus quidam & futurum alimentum ſpaciis inanibus hæret, abſumitur. II. cùm adipoſa & carnoſa ſubſtantia deperditur. III. cùm ſolidarum partium humidi, quod radicale dicitur, fit jactura: quò quando pervenerit febris, tabida *ſeu cum marcore, græcis* μαρασμώδης, *dicitur.*

CXLVI.

Indicia, per quæ circa primos dies innoteſcit, ꝑpria ſunt: caloris poſt cibum ſumptum efferveſcentia, qui alioquin ſemper & toto corpore ſibi ſimilis & æqualis eſt; ex quo non dolet, neq; ſe febricitare credunt patientes. Idem primò nobis mitis, ſed mox acer & mordax occurrit. Pulſus durus, parvus & frequens, qui etjam ab aſſumpto alimento velocitatẽ acquirit.

CXLVII.

Si verò calor inæqualis ſentiatur, dolorq; adſit, & febre tentari ſe cognoſcat ægrotus, certum eſt illam cum putrida, aut aliquo inteſtino ulcere vel inflammatione complicari. Quod pulſus putridis proprius quoq; oſtendere poteſt.

CXLVIII.

Quò faciliùs cognoſcitur Hectica, & ægrotus ab infantia receſſit longiùs, eò difficiliùs curatur.

CuRATIO.

CXLIX.

Ad curationem hujus febris non parum facit ſcire, Solitariáne ſit illa vel Comitata: quandoquidem alia Hecticæ, alia cum ea complicatis conveniunt remedia; maximè ſi cum tabe.

Nam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1175 4°

CL.

Nam quo ad Solitariam, ſi curationi quis ſit locus, illa humidis & modicè-frigidis alterando, vireſq; reficiendo expediri debet.

CLI.

Quibus ſcopis duplici remedii genere fit ſatis: Diætetico ſcil. & pharmaceutico.

CLII.

Diæteticum conſiſtit præcipuè in victu, aere, & balnei uſu.

CLIII.

Victus in cibo & potu. In cibo commendantur ptiſana, vel ejus cremor, panatella, carnes pullorum probè coctæ, vitulinæ, hœdinæ, cum frigidis lact. port. ſucco agreſt. limon. &c. alteratæ: piſces ſaxatiles, ranæ & cancri fluviatiles. Ex oleribus, ſpinach. beta, bugl. Ex fructibus, piſtacea, nucl. pinei, amygd. ſumpta cum aliis eſculentis, vel per ſe.

CLIV.

Cibus ſæpe & parcè offerendus, ante omnia ſit facilis digeſtionis & diſtributionis, propter facultates concoct. & attract. non modicè languentes. Quarum quoq; gratiâ illorum favere ſententiæ non audemus, qui hîc teſtudinum & limacum carnes, à nullo unquam antiquorum probatas, multis nominibus nobis commendare non verentur.

CLV.

In potu vinum, quantum per ſyncopen aut ventriculi infirmitatem licet, cavemus, ſufficiendo in ejus locũ aut hord. cum teſtudinibus decoctum, aut jus pulli, vel julepos ex roſ. & viol. cum aquis convenientibus comparatos.

CLVI.

Lactis recentis (ſi putridæ abſit ſuſpicio) præcipuè muliebris ad reficiendam (quamvis Avicennæ magis refrigeret & humectet) hîc magnus eſt uſus. Sic aſinini quoq; (quod teſte Hipp. 4. acut. omni lacte eſt humidius & minus acre) & caprini; nec-non amygdalini cum emulſione ſem. melon. & cucurb.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1175 4°

CLVII.

Aër qui inſpiretur, non qui cutem attingat, ad humiditatem & frigiditatem modicè alteratus, conducit.

CLVIII.

Balneum quoq; ex aqua dulci primùm modicè calidum, poſtea frigidum, vel potiùs temperatum. Hoc caſu etjam convenire ſulphureas Thermas auctor eſt D. FELIX PLATERUS: *cui fidem derogare, propter eximiam ejus in reb. medicis experientiam, nec audemus nec volumus.*

CLIX.

Medicamentoſi verò generis, alia ſunt externa, alia interna auxilia.

CLX.

Ex internis ſunt, confectiones & ſucci, qui ad virium reſtaurationem paßim apud Practicos variis modis parati oſtenduntur.

CLXI.

Sunt quoq; potiones lenes, & clyſmata refrigerantia & humectantia: quib. excrementa cruda, (qualia hîc ob concoctricis imbecillitatem non pauca colligi ſolent,) frequenter educenda veniunt.

CLXII.

Ex externis verò ſunt Epithemata, Cordis & Jecoris regioni ex frig. & acid. applicanda: Inunctiones poſt balneum ex ol. ſine aſtrictione refrigerantibus, ut viol. nenuph. vel potiùs ung. refrig. Gal. cum hac ſemper cautione, ut quoties jam manifeſtum calorem conceperint abſtergantur, ut nova inunctio fiat.

CLXIII.

Quò verò ad Hecticam, quæ cum alio implicatur morbo, ut-plurimũ res eſt deſperata, propter indicationes inter ſe pugnantes. Quisquis tamẽ aliquid moliri velit, illi ſimul utriusq; ratio habenda venit; præcipuè verò illius, qui cum cauſa alterius exiſtit, qui niſi priùs tollatur, curationi non eſt locus.

Hactenus Febris Hiſtoriam, utinam in honorem & laudem Altißimi Omnipotentisq; DEI, ac Lectoris commodum & uſum, explicuimus. Nunc quoq; Problemata quædam Philoſophica diſputandi gratiâ producemus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1175 4°

Problemata Philoſophica.

RHETORICA.

I. *AFfectuum voces de Deo in SS. enunciatas plures ad ἀνθρωποπαθείαν, quæ Metaphoræ eſt ſpecies, referunt, cum rectius ad Metonymiam, vt ad natiuam ſedem reducendæ eſſent.*

II. *Tropum huius,* Panis eſt corpus CHRISTI, *& ſimiliũ, in copula hærere, quod aliqui pertinaciter aſſerunt, nihil non abſurdi habet.*

LOGICA.

I. *Partitio Logicæ in Inuentionem & Diſpoſitionem integrũ eius vſum nequaquam complectitur.*

II. *Demonſtrationis Potiſſimæ Ariſt. etſi non eſt exempũ dare, nihilominus tamen non eſt è Logica eliminanda eius doctrina,*

III. *Non probe ſentiunt qui diſciplinarum ordinem à natura rerum petendam eſſe exiſtimant.*

PHYSICA.

I. *Non eſt Putredinis definitio Galenica, vtcunq; inſultet Galeno Zabarella, Ariſtotelicâ imperfectior.*

II. *Vnane ergo eſt, an plures putredinis ſpecies? Vna, contra Eraſtum & Archangelum.*

III. *Nihil abſurdi habet Ariſt. ſententia: in igne & niue animalia quoque generari.*

ETHICA.

I. *Nullas nouas diſciplinas aut virtutũ ab Ethicis diuerſa præcepta in commune conferunt, qui Politicos vel Oeconomicos libros quamvis prolixos conſcribunt.*

II. *Non virtutis γνῶσις ſed πρᾶξις, non dico ipſum τέλειον ἀγαθὸν, ſed via ad illud eſt.*

III. *An teneatur quisquã promiſſioni iureiurando latroni animæ ſuæ redimendæ cauſſa, in pecunia factæ, ſtare? Bodinus, ſed hîc, vt in aliis quoque non paucis parum cãdidus, id negat.*

MATHEMATICA.

I. *Non ſunt præter Arithmeticã & Geometriã vlla vera Mathematicæ ſcientiæ.*

II. *Cum errore, vtinam etiam non magno Aſtronomiæ vulnere, hactinus exiſtimatum fuit,* In omni triangulo obliquangulo datis duobus cum intercepto angulo lateribus, inueſtigari tertium, & è diuerſò.

III. *Ridi-*

III. *Ridiculè à Peripatheticis dictum, terrã eſſe aquam decies maiorem: quandoquidem ad ſe inuicem Sphæra non ſunt niſi in tripla ratione ſuarum dimetientium.*

ASTRONOMICA.

I. *Hypotheſes Aſtronomorum nihil ſunt preterquã commẽta hominum, ingenioſè tamen ad cæleſtium motuum explicationem cõficta, & quaſi realia cœlo affixa.*

II. *Etſi Planetarum duplex ſit motus, nullus tamen eſt violentus, nullus ab occaſu in ortum, nullus per accidens.*

III. *Cometas, quoq; in medio cœlo, vel; ſi mauis, ſupra Lunæ Sphæram ſæpè gigni & exoriri cum experientia ratio quoque contra Ariſt. militat.*

OPTICA.

I. *Scintillationis cauſſa in Stellis, eſt cõtinua anguli tam incidentiæ quam reflexionis radiorum ſolarium mutatio.*

II. *Quid igitur hæc ſolis fixis cõtingit? an quia ipſæ (vt veterum aliqui exiſtimarunt) circa propria centra quaquè circumagantur, planetæ vero non?*

III. *Impoſſibile eſt locum & quantitatẽ rei per fractos angulos viſæ exactè habere. aut itaq; omnis Aſtronomorum falſus eſt calculus: aut Philoſophorum de dura & compacta Cœli materia friuola eſt diſceptatio.*

CHRONOLOGICA.

I. *Propter ſummã, quæ eſt apud ſacros nihil minus quã ꝓfanos, ſcriptores, in annis ante Olympiades confuſionẽ & diſſenſionẽ, nihil certi de Æra & ætate mũdi haberi poſſe cogimur fateri.*

II. *Paſcha Chriſtianorũ (quod aliqui tantoperè veriti ſint) hactenus in menſem Iiar ſeu immundorũ incidiſſe rectè doctiſs. Scaliger negat: ſed ſi poſthac incidat, quid tum poſtea?*

III. *Idem tamen Paſcha Chriſtianorũ in Cyclo Dionyſiano decies in Adar Iudaicum incurrere, non ſine errore affirmat.*

ANATOMICA.

I. *Non venæ iecoris, nec arteriæ cordis, (contra Ariſt.) ſunt ſoboles.*

II. *Nerui immediatè oẽs a ſpinali medulla, & nulli a cerebro prodeunt.*

III. *Non omnis motus mẽbri fit muſculorũ actione, neq; omnis immobilitas horũ quiete.*

THEOLOGO-MEDICA.

I. *An Lepra Moſaica fuerit a noſtra Elephantiaſi diuerſa?*

II. *An fuerit, quod Eraſtus negat, contagioſa?*

III. *An locus Deut. 22 de panno virginitatis ſit ſecundum literã intelligendus; quandoquidem non omnibus virginibus ſit hymeneum datum, nec, &c.*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1175 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1175 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1175 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1175 4°